



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

27. [i.e. 17.] Augusti. Ab omni quidem pertinacia procul esto, rei bene  
coeptæ tamen ità insiste, ne turpi fugâ, aut quasi desperation fatiscas. S.  
Ignat. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

mus citius, quàm submittat. Non est rus-  
tior ad corda hominum expugnanda me-  
thodus, quàm rem agere cuniculis; affa-  
bili submissioni cedunt penetralia, quæ fa-  
stui mille seris occlusissent.

17 27. Augusti.

*Ab omni quidem pertinacia procul esto, rei  
bene cæpta tamen ita insiste, ne turpi fu-  
gâ aut quasi desperatione fatiscas. S.  
Ignat. ibid.*

**U**T perseverantia laudatur in bonis, ita  
meliora cæpisse consilia, vituperari  
non debet; nec enim à cognito errore re-  
cedere, levitas est, sed in meliùs translati  
animi indicium.

Grandis arrogantia, imò stultæ perse-  
verantia est ita pertinax consilii semel initi  
tenacitas, ut, quod dixit, qualecunque sit,  
fixum, ratumque manere velit, errorém  
que excusare malit, quàm mutare.

Quis ita perspicax unquam fuit, ut cre-  
dat nec sibi, nec aliis meliora unquam in-  
cidere potuisse, quam quod semel statuit;  
nullum se prudentiorem credere factus est,  
an malitia inaudita? Sapientis enim est  
cum re mutare consilium.

Cum

Cum duro adeo capite durissimum est agere, apud quem nec ratio ulla pondus, nec consilium, quod domi suæ natum non sit, locum invenit? Quò sapientior quisque est, tantò est rationi obsequentior,

18. Augusti.

*Parùm interest, si mundo negligenter servias; hoc verò intolerabile est, Deo cum negligentia servire. S. Ignat. ap. Mass.*

**N**Eglectim servire Principi contemptus est, non obsequium, pœnam relaturum pro mercede, non præmium: quantum enim operi debito accedit negligentia, tantum æstimationis erga dominum defecisse ostenditur.

Deo servire posse, gratia censeri debet non obvia, iis hæc datur, quos beata destinavit, æternitati Deus, cui sitam frigidè respondeas, periculum tibi facis, ne amittas; gratiam meretur perdere, qui non æstimat.

Suos mundus servos fumo, cælo Deus remuneratur; quàm dispar præmium, tantum inter hujus, illiusque obsequii executionem debet esse intervallum. Pudens